

Ammano Bruxellensi tamquam domino et patri suo predilecto quem scivit et cognovit sincera mente dictum ordinem Cartusiensem et prospera dicti loci nostre Domine de Gratia cordialiter dilexisse et affectasse, patens et requirens ab eodem consilium et opinionem eiusdem quid sibi de huiusmodi re consultius et melius videretur agendum vel(*sic*) dimittendum.

His a magistro *Adriano* predictus Ammanus auditis(*sic*) qui semper ad constructionem et exaltationem dicte Capelle ac apportus ibidem venientis custodiam diligentem, ac operam dedit absque aliqua deliberatione eidem magistro *Adriano* respondit in hec verba. Laudetur nunc deus omnipotens, optimum habetis propositum et motivum. Nosco et scio ordinem Cartusiensem esse valde honestum et propitium dicto loco nec est ordo in mundo quem prescriptum locum prediligerem occupare preter illum, sicque idem Ammanus propositi magistri *Adriani* acquievit et se conformavit consulens ut huiusmodi concepta sua prescripto Magistro *Henrico de Loe* Priori Capelle in generali sermone scriberet et eundem ut Bruxellam personaliter veniret deprecaretur, ac ut etiam hec omnia tribus aliis venerabilibus viris secrete patefaceret videlicet magistro *Petro de Thimo* in iure canonico licentiatum et in iure civili baccalario dicti oppidi Bruxellensis advocato bene digno postea per electionem capituli Ecclesie Beate Gudile canonico, *Johanni de Mol* filio *Joannis* et *Amelrico Was* filio quondam *Petri*, viris iustis politicis potentibus, prudentibus amicis et specialibus huius rei promotoribus prout hec omnia iuste obediens eisdem personis communiter et singillatim singulis patefecit qui etiam gaudentes et deum collaudentes(*sic*) constanter et perseveranter in huiusmodi divina proposita audita et intellecta consenserunt, desuper auxilium et consilium ore et opere totisque viribus cum bonis et amicis prestantes usque ad totius concepti negotii consummationem.

Anno igitur domini m.cccc.liiii. dicto priore de capella litteris prefati magistri *Adriani* ut Bruxellam veniret conscripto et eo personaliter ibidem comparente(*sic*) et primo secrete cum dicto domino Ammano et *Iudoco* eius secretatio habita collatione super nova domo ordinis Cartusiensis fundanda et construenda in loco prefato. Inter cetera idem prior dicebat quod valde magne requiruntur expense pro nova domo ordinis Cartusiensis fundanda de quibus modicum vel nullum in dicto loco videbatur principium aut apparentia. Habitis tamen tandem repetitis vicibus super huiusmodi concepto negocio cum predictis Ammano et ceteris diversisque aliis de lege sermonibus post multa per prescriptos dominos Ammamum, magistrum *Petrum*, *Joannem* et *Amelricum* ac magistrum *Adrianum* una cum dicto Priore Capelle consilio et deliberatione

prehabitis convenerunt ipsi tandem in conclusionem talem videlicet quod ipse dominus Prior Capelle de nova domo ordinis Cartusiensis construenda iuxta Bruxellam loqueretur cum magistro *Jacobo Rabs* Prior domus Cartusiensis extra Gandavum principali tunc visitatore illius provincie ac ipsum secum Bruxellam duceret ut in huiusmodi materia simul cum dictis dominis de Bruxella latius loqueretur. Et tempore hoc pendente avisarent secrete predicti amici de loco, modo, forma et ordinatione foundationis dicti futuri monasterii et de annuis redditibus quibus ad minus septem religiosi sacerdotes, unus conversus, et duo aut tres donati ibidem rationabiliter sub observantia regule Cartusiensis vivere ac deo et beate Virgini servire possent antequam rem istam clare aut publice coram senatu aut consilio oppidi detegerent aut proponerent, ne res divinitus inspirata per ipsius publicationem studio zizanie emulorum suo contingeret fine frustrari.

Cum igitur dicti duo priores apud prefatos dominum Ammanum et alios Bruxelle convenissent obtulerunt eis quatuor aut quinque loca que apta videbantur et congrua pro novo monasterio ordinis cartusiensis construendo scilicet *Parochiam de Molenbeka, Capellam sancti Iudoci et ten Noode*. domum fratrum de Bogardis curtim *Willbelmi Mons* iuxta porta *Priems* et ortu *Topbrucel* ac Capellam nostre Domine de Gra ut ipsa loca predicta visitarent et ipsum eligerent quem magis aptum et idoneum pro futuro monasterio construendo iudicarent. Postquam autem duo priores predicti adiunctis sibi aliis rem intelligentibus predictam Capellam nostre Domine de Gratia personaliter visitassent ac loci circumvicini situationem in omnibus requisitis suis, eundem locum ultra modum aptum, idoneum ac sanum ordini ac futuro monasterio construendo congruunt et quasi a deo ad hoc divinitus preordinatum invenissent aliis locis premissis etiam propter certas causas tunc allegatas hic omissis merito refutatis plus placere et convenire videbatur Capella nostre Domine de Gratia quam etiam ad hoc elegerunt si pro constructione edificiorum sufficientes darentur impense ac pro fratrum futurorum victu ac vestitu ac aliis necessariis assignarentur annui redditus perpetui seu possessiones.

Et quia in huiusmodi materia dicti duo Priores latius non auderent loqui vel procedere sine auctoritate patris Reverendi aut capituli generalis eiusdem ordinis cum dictis dominis Ammano et cetera. Idcirco petierunt prefati domini quatenus iidem Priores in Capitulo paulo post in Cartusia celebrando hec omnia concepta eorum Reverendo Patri ac aliis diffinitoribus Capituli patefacere et ab eisdem consensum et auctoritatem diffiniendi ac concludendi in huiusmodi materia impatrent et ex parte ordinis in eadem rite et debite procedendi et omnia et singula faciendi que necessaria congrua et oportuna essent quod et dictus Prior Gandavi relatione ac Prior Capelle scripto obtinuerunt adiuncto eis in commissione

f^o 17^v

Priore Antverpie ordinis eiusdem prout ex commissione desuper date et sigillate(*sic*) hic registrate patet evidenter.

Sequitur copia missive destinate legislatoribus
insignis oppidi Bruxellensis per dominum Franciscum
Priorem maioris domus Cartusie ceterosque diffini
tores Capituli generalis ordinis eiusdem.

Post labilis huius vie et vite cursum vitam consequi sempiternam Honorabiles domini relatione venerabilis nostri Prioris Gandavi ac scriptis venerabilis fratris nostri Prioris Capelle didicimus quod qualiter pro divini cultus affecti augmento altissimo haud dubium id dante in corda vestra, unam novam domum ordinis nostri non longe a menis per orbem terrarum famati Oppidi vestri in loco qui dicitur nostra Domina de Gratia construere et fundare geritis in affectu. Nos igitur in huiusmodi sancto proposito vestro non immerito letificati vestras dominationes rogamus et in visceribus domini nostri Jesu Christi hortamur quatenus tam sanctum propositum quod deo inspirante concepistis ad omnipotentis Dei et celestis curie honorem et gloriam ac salutem animarum vestrarum ad finem debitum perducatis, eternam remunerationem ab eo expectantes in cœlis cuius laudes amplificare queritis in terris. Sed et si quid pro executione tam sancti vestri propositi per personas ordinis nostri cooperari poterimus vobis voluntarios nos exhibemus, et paratos, prout et venerabilibus fratribus nostris Prioribus Capelle, Gandavi, et Antverpie commisimus desuper loqui et conferre vobiscum. Altissimus vos conservet et dirigat feliciter cunctis in agendis. Datum cartusie sedente capitulo nostro generali vicesima(*sic*) prima mensis maii Anno m.cccc.liiii.

Superscriptio dicte missive.

Honorabilibus et magne circumspectionis dominis Dominis burgimagistris et rectoribus incliti oppidi Bruxellensis dominis suis et fautoribus precipuis.

Subscriptio eiusdem missive

Vestri devoti oratores Franciscus Prior maioris domus Cartusie ac ceteri diffinitores capituli generalis ordinis eiusdem.

Sequitur copia commissionis nove plantationis iuxta Bruxellam.

Frater *Franciscus* humilis Prior domus maioris Cartusie ceterique diffinitores capituli generalis ordinis cartusiensis. Venerabilibus in Christo fratribus domorum Capelle Anverpie et Gandavi prioribus salutem: et per meritum obedientie vitam consequi sempiternam. Queniam ex relatione nobis facta per prefatum venerabilem priorem Gandavi ac per scripta predicti prioris Capelle percepimus quod rectores oppidi Bruxellensis divina inspiratione commoti summe desiderant domum nostri ordinis a novo construere et edificare in loco que dicitur nostra Domina de Gratia ubi pro nunc intelleximus capellam bene notabilem et ordini bene consonam iam fore constructam et reliqua loca circum vicina multum fore apta et convenientia

pro constructione domus nostri ordinis Cartusiensis. Quamobrem ad tam notabile propositum dictorum Rectorum exequendum et ad effectum perducendum confisi de vestris solertibus diligentibus vobis et vestrum cuilibet insolidis presentium tenore committimus precipimus et mandamus quatenus visis presentibus vos aut unus vestrum ad dicta loca et alia oportuna transferatis et cum diligenti executione ipsa loca visitetis que si apta fuerint et ordini nostro convenientia illa nomine nostro acceptetis et recipiatis. Deinde cum auxilio, consilio et iuvamine dictorum honorabilium virorum Rectorum prefati oppidi Bruxellensis dictam domum construi et edificari incipiatis et quantum dominis donaverit ad finem debitum perducatis. Nos enim in hac parte vices nostras vobis committimus. Datum Cartusie sedente dicto capitulo nostro generali sub sigillo eiusdem Anno domini m.cccc.iiii dieque xxi^a mensis maii.

Interum currente tempore ascensionis predicti prioris Gandavi ad capitulum generale et descentionis ab eodem a cartusia dicti amici et domini Bruxellensis Ammanus et sui avisaverunt inter se secrete de modo et forma foundationis dicti futuri monasterii et precipue de annuis et perpetuis redditibus et possessionibus assignandis, quibus futuri religiosi competenter secundum exigentiam ordinis sustentarentur et ad hoc deputaverunt bona hereditaria fratrum Saccitorum transferenda et si ea non sufficerent intendebant addere bona Albarum Dominarum de Jherico ea quod minus honeste regulariterque se gerebant, sed quia dicte domine approbate religionis sancti victoris erant non consenserunt dicti priores quod propter ordinem nostrum privarentur suis hereditatibus aut redditibus. Immo maluerunt esse contenti pro principio de bonis Saccitorum sicut et fuerunt. Sic hac conclusione habita dicti Ammanus et tres amici prenominati magistro *Adriano Dullaert* secretario eiusdem Oppidi iniunxerunt ut de avisatis prescriptis et aliis hic pretermisissis per eosdem super materia totius foundationis futuri monasterii super modis et conventionibus eiusdem ordinationem faceret et in scriptis redigeret ut eadem per ipsos visitata prius et correctata ad noticiam totius Senatus seu Legis Bruxellensis ac deinde ad magnum consilium eiusdem oppidi deduceretur.

Post reditum autem prioris Gandavi de Cartusia et a Capitulo Generali secundum commissionem sibi datam ab eodem sumens secum Priorem Capelle et Antverpic Bruxellam venit et prehabita collatione cum rectoribus oppidi et amicis specialibus super hiis que a capitulo generali impetraverat et cetera perrexit cum quibusdam notabilibus viris scilicet magistro *Adriano* sepe prefato ac magistro *Egidio Jos* architectore experto totius edificii magno fautore ordinis in domo Capelle modo defuncto, cum Rectoribus Capelle eiusdem et aliis dictam Capellam nostre Domine de Gratia ac loca circumiacentia visitavit. Et videntes dicti Priores notabilem Capellam ut prefatum est ordini bene consonam cum suis pertinentiis locique circumvicini amenitatem congruamque situationem et in omnibus requisitis aptum idoneum

sanum et propitium quasi a deo preparatum auctoritate sibi commissa ipsum locum commendaverunt, approbaverunt, acceptaverunt et receperunt ad monasterium ordinis sui auxilio consilio, et iuvamine dictorum rectorum oppidi Bruxellensis construendum. Sed quia dicta Capella non sufficiebat in redditibus et edificiis necessariis pro futurorum fratrum receptione ideo restabat facere provisionem tam de edificiis requisitis et necessariis construendis ad habitandum, quam etiam de annuis redditibus seu possessionibus perpetuis assignandis, quibus iidem fratres sustentarentur ad debite deo et beate virgini secundum modum ordinis serviendum, quod et ab Ammano et amicis prenominais habitis desuper avisamentis iniunctum fuit.

Quamvis autem ut prefertur dictus Magister *Adrianus* commissionem describendi dictam materiam acceptasset tamen impediante diabolo et aliis causis lucrativis occurrentibus spatio quasi decem mensium prepeditus, deum ac huiusmodi factum propositum penitus neglexit, dereliquit aut saltem non curavit. Tandem Anno M.cccc.liiii dominica reminiscere tempore scilicet quadragesimali hec in animo suspirando revolvens recognovit se graviter per huiusmodi negligentiam deum offendisse ac per diabolicam astutiam cum lucri temporalis dulcedine a sancti ac divini propositi ordinatione fuisse aversum, deceptum et ab omnibus bonis operibus quasi excecatum. Sed ad cor rediens et hec omnia in mente revolvens confitens et penitens Dei ac Gloriose sue Matris invocatis auxiliis mox et celeriter ad totius propositi et preconcepti negotii ordinationem in solitudine rediens et rememorans vovit deo et beate Virgini se nullam aliam causam quantumcumque lucrativam accepturum aut expediturum nisi eadem ordinatione quantum in se esset prius conscripta et perfecta quod deo auxiliante primo et unico die fecit et perfecit. Sic quod sibi omnia prius per prescriptos dominos multis vicibus et longis ante retroactis temporibus avisata et secrete concepta in scriptis redegit ac si hesternae die omnia sibi recenter repetita fuissent. De qua quidem inspiratione et memoriali recollectione non sufficiebat deo reddere gratiarum actiones, non sibi hoc asscribendo(*sic*) sed soli deo et Beate Virgini quorum causa non sua agitabatur in hac parte.

Item visitata, et per prenominaos Ammanum et amicos(*sic*) correctae predictae ordinatione quae de verbo ad verbum in 2^o libro scilicet reddituum huius domus in principio eius in teutonico est registrata et illius eiusdem diei nocte in mundo redacta, cum multis periculis quae quasi diabolica suggestionem sibi et clerico suo grossanti, ne res concepta procederet supervenerunt. Facta est altera die in hora congregationis senatus per eundem magistrum *Adrianum* in eodem senatu humilis petitio ut ipse domini de lege predictam ordinationem ad honorem dei et beate Marie Virginis per dominos deputatos avisatam et conscriptam benigne audire

f° 19(folium xi)

et desuper deliberare vellent et eandem cum aliis punctis ad magnum concilium Oppidi tunc congregandum deferre et concludere cui petitioni omnes de lege consenserunt, salvo uno qui noluit consentire nisi primitus causa sua propria que diu coram lege pependit indecisa disputaretur et in casu discordie cum aliis punctis ad consilium deferretur quod et factum fuit.

Et quia in ordinatione predicta cavetur quod dicti rectores Oppidi Bruxellensis donaverunt et assignaverunt in perpetuum pro foundatione novi monasterii futuri seu fratrum futurorum bona saccitorum in Bruxella que quondam dicta fuerunt fratrum hospitalis sancti Nicolai valentia pro tunc libere annuatim circa quatuor modios tritici lxxxi modios siliginis, xv modios havene, xvii lb i sc vi d groot Brabants cum domo et utensilibus in qua tunc morabantur sita iuxta et retro capellam beate Marie Magdalene. Idcirco postquam dicta ordinatio coram senatu seu lege oppidi perlecta fuit ad longum habita fuit desuper deliberatio legislatorum valde matura et inter cetera ab aliquibus de lege licet numero paucis dubitatum est ut res concepta impediretur in dubium deductum an videlicet iustum et honestum esset ac rationi consonum bona septem Fratrum Saccitorum ad usum foundationis nove plantationis monasterii cartusiensis in predicto loco nostre Domine de Gratia applicare et illa eisdem fratribus saccitorum auferre.

Predicta autem dubitationi fuit incontinenti per os prefati magistri *Petri de Thimo* advocati oppidi responsum et dictum quod cum bona Fratrum Saccitorum antiquitus originaliter et primo pro distributione eleemosinarum pauperum peregrinorum transeuntium fuerunt instituta et per quosdam fratres sancti Nicolai in Bruxella eisdem peregrinantibus elargita. Et illa postmodum in successu temporis per fratres saccitorum ad suos proprios usus usurpata et per Episcopum Cameracensem tunc temporis regnantem ordinationi oppidi sub conditione et spe reformationis fratrum Saccitorum pie commissa donec et quousque de illis bonis ad meliorem et sanctiorem utilitatem dispositum esset. Et iidem Fratres Saccitorum in locum fratrum sancti Nicolai subrogati regulam eis statutam minime observarunt, sed bona pauperum inutiliter et absque dei servitio vel inordinata eleemosinarum elargitione iam multis retro annis dissiparunt et notorie expenderunt in maximum Legislatorum et mamburnorum seu provisorum Oppidi, quibus cura et regimem eorundem bonorum commissa fuerunt scandalum et animarum periculum.

Idcirco non solum licuit imo ex dei iustitia debuerunt pro tunc et ex provisione speciali et antiqua ordinatione potuerunt legislatores de dictis bonis in huiusmodi religiosorum Cartusiensium usum disponere prout et ipsi disposuerunt et maxime summi Pontificis et Cameracensis antistitis consensu et auctoritate accedentibus cum de eisdem non solum Septem Fratres religiosi presbiteri conversi et donati die noctuque deo et beate virgini servientis et pro Oppido

et pro benefactoribus suis vivis et defunctis assidue orantes vivere possent et deberent sed etiam viatores et peregrini ac pauperes ad portam eiusdem monasterii applicantes iuxta bonorum facultatem per consuetas eleemosinarum elargitiones gaudere possent ad quam finem eadem bona primordialiter ordinata et collata fuerunt. Salvo tamen quod in hiis per eosdem rectores Oppidi provisum fuerit quod predicti septem Fratres Saccitorum quoad viverent per ordinationem eiusdem Oppidi sic de honestis victu et vestitu et aliis vite necessariis providerentur et in locis honestis ponerentur deo servituri quod ipsis nulla iusta occasio querelandi subesset. Ita tamen quod pro ipsis Saccitorum defunctis alii fratres saccitorum novi loco defunctorum de cetero eligi aut institui non possent nec deberent. Quod ita factum est et observatum quemadmodum hec omnia in libro Oppidi verbis teutonicis inveniuntur registrata et in libro nostro de huiusmodi f. tertio et alibi particulatim conscripta.

Nota etiam quod invenitur ex quadam copia autentica de quadam litera sigillo oppidi Bruxellensis sigillata de data m.cc.liiii in Novembri quod mamburnaria seu provisio fratrum sancti Nicolai et bonorum ipsorum primitus per oppidum Bruxellensem ad desiderium et summam petitionem Episcopi Cameracensis tunc regnantis assumpta fuit et quod idem oppidum pro salvatione conscientiarum quasdam ordinationes super habitu et vita fratrum sancti Nicolai nunc dictorum saccitorum et super administratione ipsorum bonorum temporalium predicto tempore constituit et fecit ad eas deinceps observandas donec dicta domus fratrum sancti Nicolai sic essent bona et possessiones augmentate quod dicte persone in habitu secundum regulam eis datam decenter et honeste vivere possent et peregrinis transeuntibus eleemosinam et hospitium impartiri. Aut quousque predicta domus per communem consensum eorum qui iubere aut consentire habent in primo statu quo fundata primitus fuerat seu ad meliorem secundum deum utile et proficuum fore videretur posset reformari aut commutari ad dei maiorem laudem et honorem cum consensu desuper summi pontificis impetrato.

Item reperiuntur insuper quedam ordinationes de anno dmi m.ccc.xcvii super collatione prebendarum Fratrum Saccitorum sc xiiii similiter de habitu eorum et statu et senio ac impotentia recipiendorum quibus domini de lege dictas prebendas deberent conferre. Similiter accidit quandoque quod propter importunas preces quorundam dominorum sive aliter dicti domini de lege prout eorum conscientia dictaverit prefatas prebendas conferre non potuerunt pauperiori cui magis competebat nec prescriptas ordinationes oppidi observare nec etiam a dictis fratribus saccitis ordinationes eorum statum concernentes ab eis idcirco debite conservata fuerunt.

Item quod anno dmi m.cccc.iiii commune concilium oppidi de dictis xiiii

prebendis capelle beate Marie Magdalene contulerit perpetuis temporibus ad eius reparationem ac eam in suo statu conservandam unam prebendam pro qua annue adhuc recipit ~~tam~~ etiam a Cartusiensibus x modios siliginis. Similiter reperitur quod quondam sacerdos quidam in receptorem et procuratorem dictorum fratrum saccitorum ac eorum bonorum ex parte oppidi ordinatus fuit qui pro labore et sollicitudine sua et duabus missis quas septimatim quandoque facere habuit in dicta capella annuatim habuit expensas cum dictis fratribus, hospitium et combustibilia et insuper in pecunia x aureas coronas annuatim quod onus cessavit cessantibus et desinentibus ipsis fratribus Saccitis.

Item quamvis prima regula et ordinatio facta per oppidum ad instantiam dicit Cameracensis anno m.cc.liii super fratres saccitos super que quilibet eorum recipiebatur inter cetera continet ad modum statuti quod qui in dicta confraternitate vellent introire et recipi omnia bona etiam propria sive iura que haberent eidem domui fratrum saccitorum transferrent et donarent et voluntarie resignarent et conferrent in commune aut aliter de bonis domus eius aut prebenda non posset eis ministrari aut partiri et quod iidem fratres nec mercantias aut alia negotia seu officia non possent exercere. Attamen ipsa ordinatione non obstante ad notitiam dominorum de lege pervenit quod quidam dictorum fratrum de propriis bonis hereditariis et aliis satis divites sunt ad honeste et competenter secundum eorum statum super hiis vivendum sine bonis domini Crucifixi ac pauperum consumendis aut exigendis. Similiter invenitur quidam dictorum fratrum qui quotidie cum diversis mercantiis et negotiis questuosis (*sic*) extra domum se occupant et lucrum sectantur et acquirunt quos redditus sive lucra in communi cum aliis fratribus non important seu manifestant aut resignant sed consumunt et expedunt bona domini que pauperibus relicta sunt et alia reservant sibi et sub seipsis et expendunt secundum beneplacitum eorum in quo non solum ordinatio oppidi leditur et infringitur sed etiam in hoc scandalizantur et in conscientia manent gravati ipsi legislatoris oppidi qui ex iuramento et conscientia ex multis temporibus obligati fuerunt meliorem desuper facere provisionem ac remedium salutare apponere quod usque modo propter preces diversorum congruenter facere nequiverunt.

Item quia status Cartusiensis in sancta Ecclesia altioris gradus maioris reverentis sanctitatis ac spiritualior reputatur magisque penitentialis ac asperior quam Status Saccitorum qui etiam a quo statu declinaverunt nec ordinationes et statuta sibi per oppidum tradita illibata servaverunt et multi defectus negligerie (*sic*) ac enormitates per ipsos perpetrata sunt. Unde ipsi Rectores oppidi ~~quiam~~ quia ipsas non fecerunt emendari suas conscientias graviter maculaverunt. Ideo quia ipsi legislatores eiusdem

Oppidi non solum habent potestatem sed etiam propter iuramentum prestitum et ex parte conscientiarum ipsarum salvandarum tenentur bona dictorum fratrum saccitorum ad meliorem profectum et ad maiorem honorem et laudem dei convertere quam usque nunc fuerunt, si inde premium consequi velint a domino, et effugere dei et sancte matris Ecclesie penam et censuram, que infligende sunt ipsis mamburnis et provisoribus bonorum pauperum, qui aut negligunt(*sic*) aut permittunt dicta bona indebite et irrationabiliter consumi. Et ideo ad emendandum negligentias et deordinationes que antiquitus tam per Dnos de Lege quam etiam per Fratres Saccitos in usu ac administratione provisione, et donatione dictorum bonorum sive ex simplicitate sive mala consuetudine et cura commisse sunt etiam ad complacendum Duci et Ducisse qui multum ordini Cartusiensi afficiuntur et in magna reverentia habent utile est expedit, et decens est ut dicta bona saccitorum transferantur pro monasterio Cartusiensi construendo et fratribus eiusdem ordinis sustendandis qui pro predictis negligentias(*sic*) expiandis ac benefactoribus ac illis qui bona saccitorum relinquerunt plus quam sacciti fecerunt ac pro toto oppido deum devotus ac attentus die noctuque possint exorare.

Hiis omnibus a prefato Magistro Petro prius enarratis et que post modum superius positum preauditis aut consideratis et per legislatores ad plenum intellectis licet tres persone ex lege resistere conati fuerunt. Attamen tandem et finaliter his tribus personis ex iusta ratione devictis concluderunt omnes de senatu unanimiter et concorditer et quasi via Spiritus Sancti in ordinationem conceptam ibidem coram eis per Magistrum *Adrianum* sepe dictum publice lectam aut loco prefato registratam quantum in eis fuit nullo ex eadem ordinatione verbo mutato addito vel diminuto.

Item prescripta ordinatione ut premittitur sic in senatu passata, admissa et conclusa incontinenti una cum quinque aliis materiis seu questionibus partim in Magno Concilio oppidi tunc temporis ad numerum Sexaginta personarum notabiliter congregato delata publicata et de verbo ad verbum alta et intelligibili voce per dm Magistrum *Adrianum* primo loco lecta ac declarata et habita per idem concilium super eadem ordinatione ac super materiis aliorum quinque punctorum preambula disputatione et deliberatione maturis in quibus per aliquos licet numero paucos de periculosa et coniecturata nimia futura comparatione et acquisitione bonorum et divitarum monasterii tam per contractus viventium quam ultimarum voluntatum ut res concepta non procederet argutum extitit et interiectum. Tandem tamen post meridiem finaliter in medium dicti concilii prescripta ordinatio erectionis et foundationis unanimiter et concorditer cum inclitis gloria, gaudio et honore ac beate Marie Virginis

in dicto loco exaltatione absque aliquorum de lege aut concilio sinistra sollicitantium informatione est approbata assumpta, conclusa, et confirmata prout, eadem ordinatio coram ipsis per magistrum *Adrianum* personaliter et intelligibiliter lecta fuit. Et in teutonico de verbo ad verbum in libro privilegiorum dicti oppidi et libro nostro reddituum extitit registrata die sabbati Anno domini MCCCCLIII xxiii martii ante pascha si Reverendus dns Cameracensis consenserit et dicti Priores Capelle, Antverpie et Gandavi onus conservandum et perficiendum secundum dictam ordinationem, assumere voluerunt.

Item eodem tempore similiter conclusa fuerunt simul et semel alia quinque puncta prout senatus illa tunc ante et eodem die de mane in suo particulari concilio concluserat et ordinaverat una dumtaxat puncto excepto concernente illum qui in senatu eodem die de mane pati noluit deliberationem aut conclusionem huiusmodi ordinationis procedere; nisi primitus sua causa propria esset deliberata et conclusa. Verum est tamen quod iste legislator qui in hoc peccavit causam suam cause Dei Genetricis preferens ab hora huiusmodi signi a deo facti et recogniti semper deinceps director et adiutor fidelis huius nove plantationis monasterii maximus et ferventissimus promotor et amicus est affectus et usque ad finem permansit.

Predicta igitur ordinatione tam in senatu quam etiam in magno concilio oppidi passata, admissa approbata assumpta, conclusa et confirmata salvo consensu domini Cameracensis, Priorum Capelle Antverpie et Gandavi quibus res ista a suo Capitulo commissa est acceptatione, dicti Priores ad Bruxellam vocati fuerunt et eis ordinatio et avisamentum super nova domo ordinis eorum in loco predicto erigenda cum suis circumstantiis et precipue de annuis redditibus et possessionibus assignandis etc. ad longum intelligibiliter lecta et enucleata bene placuit dictis Prioribus auctoritate sibi commissa eandem acceptare et recipere petentibus auxilium, consilium et iuvamen dictorum Rectorum oppidi pro dicta domo inchoanda, construenda, edificanda et ad finem debitum perducenda quod benigne et gratanter addixerunt. Sed quia in brevi unus dictorum Priorum sc Capelle perreclusus erat Cartusiam ad Capitulum Generale cui omnia que gesta sunt de hac materia aut scribere aut referre haberet petierunt dictam ordinationem oppidi aut copiam eius sibi dari, ut per articulos distingui saltim succincte posset et eorum generali Capitulo presentari et referri pro maiori confirmatione et si que vel addenda sive demenda, alteranda aut commutanda forent sibi visa plena auctoritate sua faceret quod et factum est ut sequentia declarant. Interim per Magistros Capelle et alios ad hoc ordinatos fieret provisio de

necessariis ad structuras monasterii futuri faciendas.

Cum igitur dictus Prior Capelle Cartusie ad Capitulum generale venisset et omnia que citra commissionem de nova domo ordinis circa Bruxellam inchoanda sibi et dictis aliis duobus Prioribus datam per ipsos facta et concepta et acceptata fuissent retulisset ordinationemque oppidi eiusdem articulatim descriptam Reverendo patri priori Cartusie Francisco ac ceteris diffinitoribus Capituli Generalis presentasset piamque intentionem ac bonum affectum ad ordinem et cetera exposuisset habita sicut moris est in tali materia desuper inter eos deliberatione et tractatu diligenti assumpserunt approbaverunt et autorizaverunt omnia per dictos Priores facta placueruntque infra scripta quatuordecim puncta ordinationis oppidi prefati eisdem priori Cartusie et diffinitoribus Capituli generalis salva gratia et modificatione oppidi Bruxellensis cum consilio Priorum Gandavi Antverpie et Capelle si, et in quibus opportuna pro tempore videbuntur.

Sequuntur xiiii puncta ordinationis huius domus per capitulum confirmata.

Ad honorem Dei et gloriose semper virginis Marie ordinata per commune concilium oppidi Bruxellensis pro fundatione nove domus ordinis Cartusiensis prope idem oppidum.

Primum punctum

Quoniam ex nunc et in evum assignarent quidam locum et quandam Capellam de novo fundatam cum suis pertinentiis prope idem oppidum cum quibusdam terris nunc Capelle attinentibus predictae. Insuper et alibi plura bona immobilia et redditus certos ad sustentationem fratrum eiusdem nove domus eosdem gaudere faciendo eisdem libertatibus et privilegiis quibus nunc gaudent collegium de Anderlecht, domus sancte Clare ac sancte Elizabeth ordinauerunt quedam in dicta domo nova servanda ut sequitur.

Secundum punctum.

Primo quod in dicta domo fundanda numquam fieri poterunt ultra xx cellas nec recipi fratres ultra xx ad commanendum ibidem nisi de communi consensu ville bruxellensis et consiliariorum eiusdem sed usque ad illum numerum et non ultra fundatio et receptio posset extendi.

Tertium punctum.

Item quod religiosi domus dicte numquam in futurum nisi cum speciali consensu oppidi emere poterunt infra Ammaniam ac villicatum dicti oppidi seu infra ipsum oppidum perpetuos redditus ultra taxationem xiiii cellarum quarum quelibet taxata est ad xxv equites seu ryders. Verumtamen per hanc ordinationem non restringerentur dicti religiosi quin possent libere recipere si quis principum, prelatorum aut ecclesiarum eis pure et libere

perpetuos redditus dare vellet vel etiam si quis in vita aut morte fundare vellet aut dotare cellam ultra numerum xiiii pretaxatarum sive alicuius novo consensu libere possent recipere sive fuerit legator de infra terram seu extra.

Quartum punctum.

Item si forte in futurum dicti religiosi emere vellet infra oppidum seu Ammaniam perpetuos redditus ultra taxationem xiiii cellarum predictarum aut pro fundatione et dotatione aliarum sex cellarum vel etiam ad faciendas eleemosinas ante portam hoc facere poterunt ad modum et consuetudinem aliorum religiosorum dicte patrie et alias non nisi de consensu principis oppidi et scabinorum dicti loci videlicet quod heredes possunt redimere semper denarium pro xviii denariis, etiam quod cum vicinis de huiusmodi bonis tenebuntur solvere overa huius bonis ex parte principis aut aliunde imponenda.

Quintum punctum.

Item quod predicti religiosi redditus perpetuos eis nunc per oppidum assignandos numquam in futurum alienare vendere permutare aut merare poterunt sine communi consensu scabinorum et consiliariorum dicti oppidi.

Sextum punctum.

Item quod in dicto loco assignando numquam fient edificia habentia aliquam fortitudinem seu fortalicia sine consensu oppidi. Et quod in edificationibus non assument alios operarios carpentarios seu latomos nisi qui sunt de artificio seu gulda oppidi qui tamen operarii habebunt ibi necesse pro competenti previo quo invicem convenerint seu ad ordinationem oppidi.

Septimum punctum.

Item quod Priores domorum Capelle, Gandavi et Antverpie ex nunc promittent literas indantes quod postquam predicta domus dotata fuerit ad xiiii cellas per redditus perpetuos infra brabantiam aut extra quod tunc sive onere aut expensis Oppidi facient(*sic*) dictam domum incorporari ordini predicto eisdem privilegiis constitutionibus et ordinationibus gaudere faciendo quibus cetere domus ordinis gaudent.

Nota quod in libro Magistri Adriani habetur. Si preter dicta puncta in futurum necesse esset ad honorem dei et salutem et necessitatem dicte domus aliqua ordinari aut mutari quod tunc domini de Lege cum Priore et conventu dicte domus possent ordinare prout viderunt expedire.

Octavum punctum.

Item quod in dicta nova numquam recipi poterunt hospites ad pernoctandum nisi qui fuerint de ordine eodem nisi de scitu et consensu domini et oppidi. Et quod porta domus dicte de nocte semper claudetur per mediam horam ante clausuram

portarum oppidi et de mane non aperietur nisi per mediam horam post apertionem portarum oppidi. Et si ob hanc causam eisdem religiosis aliquis molestiam verbis aut factis forte inferret correctio inde fiet quasi sit facta contra dominum aut oppidum.

Nonum punctum.

Item in favorem dicte domus ordinabuntur per scabinos presentes duo aut tres notabiles viri legisperiti nunc in officiis non existentes qui ex parte Oppidi quamdiu vixerint sine stipendio aliquo in omnibus requisitis subvenire habebunt fratribus ac domui coram scabinis et alibi infra oppidum causas eorum agentes propriis etiam expensis. Extra vero oppidum solis expensis contenti singulariter pro mercede fratrum orationibus recommendati.

Decimum punctum.

Item quod in signum gratitudinis et recompensationis benivolentie(*sic*) oppidi et communis concilii fratres ac religiosi dicte domus obligabuntur annuatim solenniter cantare in conventu unam Missam ea solennitate qua celebratur festo pentecostes de sancto Spiiritu, die qua fit electio scabinorum. Item et ceteri eadem die celebrare de Spiritu Sancto. Item aliam Missam de eodem S. Spritu in profesto sancti Joannis Baptiste pro communi concordia et prospero successu oppidi. Et tertiam de Requiem ipso die Sancti Huberti altera videlicet animarum pro animabus consiliariorum uxorum filiorum etc et similiter oppido servientium cum familiis etiam eorundem.

Undecimum punctum.

Item oppidum predictum providebit aliunde illis qui hucusque bonis pro dotatione vii cellarum assignandis usi sunt.

Duodecimum punctum.

Item si in futurum preter ista ordinata ad honorem dei et utilitatem dicte domus aliqua fuerint ordinanda hoc ordinare scabini oppidi predicti pro tempore valebunt prout honori dei et utilitati oppidi et subditorum expedire videbitur.

Tertium decimum punctum.

Item conceperunt prout prius tactum est quod bona eorum amortizanda ac libra infra Ammaniam Bruxellensem extenderent se solum in futurum ad xiiii cellas ac totidem religiosos pro quolibet xxv equites taxando qui numerus tamen posset augeri postmodum usque ad xx cellas et non ultra sine consensu oppidi iuxta modum prius expressum. Verumtamen pro principio non conceperunt fundare nisi viii cellas pro octo fratribus cum sua familia pro cuiuslibet fundatione taxando xxv equites de quibus in presentiarum solum assignaverunt redditus pro vii cellis ac septem fratribus iuxta taxationem premissam.

Sequitur subscriptio Capituli Generalis.

Supradicta quatuordecim puncta placuerunt priori Cartusie

et diffinitoribus Capituli Generalis salva gratia et modificationem oppidi Bruxellensis cum consilio prioris Gandavii Antverpie et Capelle si et in quibus oportuna pro tempore videbuntur Franciscus Prior Cartusie propria manu, et diffinitores Capituli Generalis tempore capituli Anno M.ccc.lv. celebrati cum impressione sigilli domus Cartusie in testimonium.

Nota quod supra narrantur xiiii puncta sed in re inveniuntur ut patet nisi tredecim et sic videtur unum punctum omissum quod habetur in principali litera foundationis huius domus cum aliis punctis hic specialiter scriptis quod in ordine esset x^m et sic in numero essent xiiii.

Quartum decimum punctum.

Item quod dicti religiosi tenebuntur in evum decenter tenere Capellam nre Domine de Gra in structuris et aliis necessariis.

Item nota quod prout in suprascriptioe committitur, aliqua sunt modificata de predictis xiiii punctis per oppidum ut patet in principali litera foundationis sc in punctis ubi ponitur tale signum v et quedam alia per priores ut patet latere sequenti. Etiam quedam puncta omissa in litera principali foundationis.

Nota quod audivi a priore *Henrico* quod predicti priores ordinaverunt quod Missa de Sancto Spiritu cantanda in conventu in die electionis scabinorum oppidi Bruxellensis et in profesto Joannis Baptiste celebrabitur eo ritu quo prima die Capituli Generalis et propterea potest Missa anniversaria dici in privato si alie misse occurrerint, oportet cantari duas missas vel etiam forte tres nisi de consensu Oppidi aliter fiat preveniendo Missam de Sancto Spiritu alio die eam cantando. Item quod fratres qui eodem die habent missam ex ordine vel defectum aut aliam necessitatem propter quam more ordinis non possunt celebrare non tenentur ipsam de S. Spiritu Missam repetere die altero. Et hoc idem est de Missa de Requiem pro defunctis altera die animarum cantanda ea solennitate qua die animarum et si dies illa die dominico venerit tunc fiet die Lune. Idem officium pro defunctis omnibus oppidi (*sic*). Quedam horum (*sic*) patent in principali litera foundationis, quedam verbotenus ordinaverunt unde nondum vidi literas.

Post reditum igitur dicti Priores Capelle a Cartusia et Generali Capitulo omnia que ibidem egerat concernentia dictam novam plantationem rectoribus oppidi adiunctis sibi duobus aliis prioribus patefecit et retulit et de pleno consensu obtento a Reverendo Patre ac Priore maioris domus Cartusie *Francisco* et a capitulo generali super dicta nova domo ad statim inchoanda et placentia et auditione xiiii articulorum predictorum cum auctoritate modificandi eadem, eadem data predictis prioribus Capelle Gandavi et Antverpie una cum oppido Bruxellensi et rectoribus eius. Quibus auditis gratanter acceperunt et dicto priori Capelle de laboribus suis pariter cum aliis duobus pro nova plantatione habitis mag

nas gratiarum actiones egerunt decernentes ut quanto citius tanto melius ipsa domus inchoaretur et ad hoc certi idonei deputarentur.

Habitis autem super predictis mature deliberatione ac provida circumspectione decreverunt prout etiam in litera principali foundationis continetur quod quia sperari posset quod Ecclesia, Celle, Refectorium, Camera hospitem et alia necessaria monasterii edificia de elemosinis christifidelium et apportu peregrinorum construi et edificari possent et murus circumstans capellam nostre Domine de Gra circa quatuor pedum valeret ad altitudinem x pedum elevari in eius circumferentia infra et supra quem edificia levia fierent ac alia necessaria fratrum possent comparari ut de huiusmodi apportu et elemosinis cito et celeriter pro constructione primaria monasterii unum parvum et leve opus pro principio necessarium inciperetur et perficeretur pro primorum fratrum venturorum competenti et oportuna receptione et sustentatione. Quod et factum est ut patet.

Conclusionem predictam acceptam Priores predicti operam dederunt ad incipiendum dictum monasterium et maxima Prior Capelle quia vicinior fuit et magis notus in Oppido ac pluribus gratus una secum assumendo quosdam nobiles qui de tali facta se intelligerent et magistros Capelle. Qui cum dictum locum Capellam ; S. et murum circumstantem considerassent et mensi fuissent invenerunt summam aptitudinem tam pro quadam appendio faciendo in occidentali parte capelle pro ecclesia fratrum una cum parte capelle, quam etiam pro cellis refectorio etc pro viii fratribus necessariis in principio venturis quasi a Deo talis ad hoc dispositio facta fuisset.

Cunctis igitur secundum opus parvum et leve pro monasterio faciendo descriptis deputatus est Magister *Egidius Joes* pie memorie magnus amicus ordinis et magistri Capelle cum quibus etiam prior Capelle misit conversum suum Fratrem *Godefridum* pie memorie in huiusmodi expertum ut ibidem omnium curam gereret et respiceret ad opus faciendum et operarios etc. Et quia dicta capella nostre Dne de Gra non sufficiebat tam pro capacitate ac continentia peregrinorum et communis populi ibidem vota sua solventis et advenientis quam etiam pro futuris fratribus ut ibidem divinum officium secundum modum ordinis sui celebraretur. Ideo primo querentes regnum dei dicti Priores et quos ad hoc deputaverunt fecerunt eandem Capellam de novo et levi edificio prolongari et dilatari in quo adhuc quotidie divine laudes persolvuntur, pecunias quibus operam solvebantur de apportu sumentes et elemosinis per quas etiam necessaria omnia ad idem opus comparabant prout patet in primo registro qui incipit ab anno domini m.cccc.lv xix^a aprilis facto per provisores Capelle. Et de illo tempore recte incepit domus hec. Et dictus frater *Godefridus* cum aliis intenderunt operi faciendo.

Inceperunt autem operari feria secunda post octavas Pasche sc xiiii^a aprilis nam Pascha tunc erat sexta Aprilis.

Cum igitur dicti deputati diligenter intenderent(*sic*) ad dilatandum et prolongandum Capellam cum novo opere incepto pro Ecclesia futurorum fratrum et opus in eorum manibus cresceret cotidie, institerunt interim apud Revum dnm Cameracensem Dnm *Joannem de Burgundia*, dni *Henricus Magnus*, locum tenens principis et *Joannes de Edingen*, dns de *Kestergate*, Ammanus Bruxellensis, *Nicolaus de Calido Campo*, scabinus, *Theodoricus de Mol* Burgimagister, *Joannes de Mol* et *Sigerus de Mol* Reddituarii, *Joannes Cambier* et *Godefridus de Bossere* consules ac Magister *Adriannus* sepe dictus tamquam deputati oppidi Bruxellensis ac humiliter supplicarunt quatenus huiusmodi foundationi et erectioni monasterii consensum suum de benignitatis sue gratia adhibere auctoritate sua ordinaria et pontificali dignaretur. Quod et fecit anno dni m.cccc.lv. die sabbati ix mensis Augusti ut patet in libro copiarum huiusmodi et principali litera de tali anno, tali conditione ut perpetuis temporibus diebus dominicis in summa Missa una collecta pro eodem Episcopo et suis successoribus episcopis futuris Cameracensibus pro tempore et eorum felici et prospero successu a celebrante diceretur et cantaretur.

Nota quod predecessores nostri seu deputati Piores pro acceptance huius domus ordinaverunt quod in die Pasce et Pentecostes talis collecta dicitur in prima Missa et in natali domini si venerit in dominica in 2^a Missa insequendo statuta nostra que sic loquuntur de suffragiis tunc occurrentibus et faciendis.

Post predictum consensum domini Cameracensis super erectione et fundatione nove plantationis monasterii ordinis Cartusiensis loco sepe narrato ipsum oppidum per suos deputatos ulterius institit apud eundem, ut eandem Capellam que nondum erat consecrata ac aliud edificium eidem annexum quod quotidie fiebat in quantum futuris fratribus erat necessarium consecrare vellet per se aut per alterum alterius diocesis Suffraganeum cum pro presenti proprium non haberet episcopum permetteret consecrari cui supplicationi etiam gratiose annuit. Et per missivam rogavit Suffraganeum Leodiensem dominum *Dionisius Rossensem* Episcopum ut vices eius in consecrando dictum locum supplere vellet que missiva scripta fuit anno supradicto xxv^a Augusti ut patet in libro ut supra habetur etc habetur etiam ibidem missiva oppidi ad dictum Suffraganeum deprecatoria ut dignaretur venire Bruxellam ad consecrandum dictam Capellam etc. in die Nativitatis Beate Virginis quem ad eius honorem ad hoc specialiter elegerunt salvis Juribus suis et expensis.

Dictus igitur Suffraganeus Leodiensis condescendens precibus dni Cameracensis ac oppidi Bruxellensis signavit per iuratum nuncium Bruxellensem ad ipsum missum se libenter desideriis ipsorum pariturum et Bruxellam in tempore ante Nativitatis Beate Marie venturum ad Capellam prefatam consecrandum quo audito id ipsum dictis prioribus